



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Angelum potuisse peccare appetitu superbo æqualitatis Dei secundum
naturam, alij Scholastici probabiliter censent. cap.2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

ynumquemq; appetere sibi esse, & viuere, & eam partem qua intelligit scilicet intellectum, subiungit hæc verba: *Est enim bonum homini studio esse, unusquisque autem sibi vult ipsa bona.* Facilius vero alius, nullus expetit, cuncta illud quod est factum habere. Quasi diceret, unusquisque bona appetit, ut melior sit, si tamen in alium transmutaretur, non desideraret se fieri meliorem, nec bona habere: non alia quidem ratione, nisi quia nullus potest desiderare se esse alium: nam si desideraret, se esse alium, desideraret quoque illi, in quem transformaretur, omnia bona, sicut & sibi desiderat: & desideraret, illum fieri meliorem, sicut etiam desiderat se fieri meliorem.

CAPVT II.

Angelum potuisse peccare superbo appetitu æqualitatis Dei secundum naturam, aliis Scholasticis probabiliter censent.

SAlua reuerentia tantorum Scholasticorum, quos præcedenti capite allegauimus, non possum non existimare satis probabile, potuisse Angelum peccare appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam. Ita docuerunt Scotus in 2. d. 6. quæst. prima §. dicitur, & §. quia tamen, Gabriel eadem distinct. quæst. 1. artic. tertio dubio secundo. Maior quæst. 1. Basilius quæst. prima §. quia tamen ad primum. Quorum sententia eo solum confirmari poterit, si ostenderimus rationibus prædictæ sententiæ non satis probari talen appetitum in Angelo esse impossibilem. Et sane, quod ad priorem rationem attinet, libenter in primis fatemur, æqualitatem Dei secundum naturam impossibilem esse, cuiusque creaturæ. At vero circa hoc obiectum impossibile, cognitum etiam ut impossibile, potuisse in Angelo esse aliquam voluntatem, non videtur posse negari.

In eius vero confirmationem suppono id, quod Aristot. docet, 3. Ethicor. cap. 2. & duæ faciæ ingenuè fatentur, nempe impossibilem, quæ etiam cognita sunt, ut impossibilia, posse esse voluntatem aliquam, quam vocare solent velleitatem, aut simplicem affectum, non tamen efficacitatem: hoc est, voluntatem, quæ in sola quadam complacentia rei apprehensæ consistit, nec est principium efficax querendi illam: id quod contra Caiet. professio probauimus 1. 2. quæst. 13. ar. 4. atque contra ipsum palam ostendemus, hoc ita verum esse de voluntate circa impossibile per se, sicut de voluntate circa impossibile per accidens: dicitur autem impossibile per se, quod ex natura sua in quocumque statu consideratum impossibile est, ut hominem esse equum, aut Deum esse creaturam secundum essentiam. Impossibile vero per accidens dicitur, quod ex se possibile erat, considerata natura rei, ut Petrum non peccasse: sed ratione temporis, quia iam peccauit, impossibile est, nunc non peccasse, postquam peccauit. Quæ de causa dixit Aristot. cap. illo 2. voluntatem quidem esse impossibilem, intelligens nempe simplicem complacentiam: sed electionem non posse esse impossibilem, quia electio est voluntas efficax querendi id, quod eligitur. Porro autem, Arist. loqui de impossibilitatibus, quæ reuera iudicantur impossibilia, perspicuum est: nam circa impossibile, quod iudicatur possibile, non tantum potest esse voluntas, sed etiam electio. Hoc autem impossibile, quod iudicabatur reuera im-

possibile, potuit ab Angelo nihilominus apprehendi per modum entis, & conuenientis non quidem iudicio assensus, sed simplicis cognitionis, & apprehensionis, quæ sufficiens est ad mouendam voluntatem, ut 1. 2. qu. 14. ostendimus: quænam modum potest quis delectari cogitando non esse eum, etiam si videat illud impossibile, apprehendendo illud per modum sibi conuenientis. Quocirca nescio, qua ratione Bonau. & Aegidius dixerunt, non potuisse angelum appetere æqualitatem Dei, quia non potuit tale quid in mentem ei venire: hoc enim accidere potuisse sine errore in intellectu angeli, disp. seq. perspicuum fiet.

Quæ vero in confirmationem huius prioris rationis præcedenti opinione obiciebantur, facile dilui possunt. Ad primum fatemur, quidem, angelum libere peccasse: cum tamen colligitur, ergo ex electione peccauit, distinguendum esse censemus. Aut enim nomine electionis, seu electiue (ut vocant) voluntatis, intelligimus liberam voluntatem tantum, & hoc modo peccauit ex electione: & si peccaturus erat, necessario hoc modo peccaturus erat: hoc autem genus electiue voluntatis potest esse inefficax & simplex affectus delectationis, veluti cum quis odio habet Deum, simplici tantum affectu odij desiderans illi malum, peccat quidem, etiam si affectus ille non sit efficax, quia videt impossibile esse, tale malum Deo accidere. Aut nomine electionis intelligitur voluntas efficax, quæ tendit ad rem in executione, & hæc non requiritur ad peccatum, ut manifestum ex dictis est. De ea vero dixit Arist. electionem non esse impossibilem, ut ostendimus 1. 2. quæst. 13. art. illo 4. ubi etiam Scotum reprehendimus, quia docet loco citato, impossibilem esse electionem. Quæ vero ratione reprehensione digna sit, ibi dem ostendemus. Potuit igitur Angelus peccare libere, & electione, quatenus requiritur ad peccatum, etiam si appeteret æqualitatem Dei secundum naturam.

Ad secundum dicimus, si Angelus appetisset æqualitatem Dei secundum naturam, appetisset sane figmentum, quod suo intellectu ipse sibi excogitasset: nihilominus vere etiā hoc modo peccare potuisset: nam etiam in huiusmodi figmentis immorari peccatum grauissimum esse potest, ut si quis cogitaret, se inferre aliquod malum Deo, ut in eo ex odio delectaretur: in figmento quidem detineretur eius appetitus, nihilominus eius peccatum graue esset. Sic igitur, æqualitatem illam cum Deo esse solum figmentum cogitationis creatæ, nihil obitare posset, quo minus circa illud graue esset peccatum.

Ad tertium fatemur, circa æqualitatem illam Dei non potuisse Angelum peccare, nisi affectu simplici, quem vocat velleitatem. Quod vero addunt prædicti doctores, quibus etiam consentit Albertus 2. parte, tract. 5. q. 22. memb. 1. ad penult. & ult. Albertum, in tali affectu non posse esse meritum, bonum, aut malum, nescio qua ratione verum esse possit. Quis enim neget, esse actum perfectissimæ charitatis, & magnum apud Deum, quæ (ut communiter fertur, Augustinus loquens cum Deo dicebat, *Si ego possem esse Deus, mallem, te, quàm me esse Deum.* Hic autem actus simplicis complacentiæ, & velleitatis est, & circa impossibile. Præterea actus meritorius est, cum quis, postquam peccauit, cogitat se, ac si non peccasset, & in hoc delectatur.

Confirmatio
prioris ratio-
nis ostendit
aut.

2.

Albertum.

& tamen hic actus est simplicis affectus, quem vocant velleitatem. In simili quoque affectu potest esse gravissimum peccatum, ut supra dicebamus: ut si quis delectaretur ex odio contra Deum cogitans aliquid ut malum illius? In quo genere peccati nunc etiam dæmones versari, dubium non est.

Respondet tamen Capreolus, Angelum post lapsum quia perturbatam habuit rationem, posse hoc genere delectationis peccare, sed primum peccatum eius non potuisse in tali affectu consistere. Ceterum licet hoc illi daremus, vis nostræ solutionis persistit: nam in tali simplici affectu, si daretur, posset esse peccatum gravissimum, sicut nunc in dæmonibus est. Potuisse autem tunc esse talem affectum simplicem, primum Doctores illius tertie objectionis libenter fatentur, solū volentes defendere, in tali actu non posse esse peccatum. Deinde ex natura rei, hoc satis est manifestum. Nam si nunc dæmones peccant hoc genere peccati, non est propter errorem, quem de Deo habeant: siquidem in ipsis integra naturalia manserunt: sed sine errore apprehendentes illud ut bonum, ut seq. disp. explicabitur, in eo delectantur. Cur igitur hoc ipsum non potuit illis accidere in primo peccato?

Ac dicit aliquis, cum Angelus cognoscat seipsum, sicuti est: quia ratione fingere potest, tanquam sui perfectionem id, quod ex alia parte recte novit, sibi nullo modo convenire posse? Si quidem supra disp. 118. c. 2. diximus, intellectum videntem rem, sicuti est, non posse plura in re distinguere, quæ reuera distincta non sunt: quia talis distinctio figmentum est, quod in intellectum inveniunt rem, sicuti est, cadere non potest. Respondet, quomodo Angelus seipsum cognoscat, sicuti est, quia tamen non intelligit Deum sicuti est, potest apprehendere se, ac si esset Deus, hoc est, ac si supra se Deum non haberet, & posset sibi displicere, se esse Deo subiectum, & inferiorem, & contra delectari cogitando se non inferiorem alteri, tanquam Deo, quod est velle aliquo modo æqualitatem cum Deo secundum naturam. Et hæc satis circa priorem rationem præcedentis sententia.

Posterior ratio facile quoque dissolvi potest. Concedimus itaque, ex eo quod Angelus re ipsa esset Deus, necessario consequentem iri non esse angelum; nihilominus ex eo, quod appetat Angelus, se esse Deum, non sequi, appetere se non esse; nam quamvis hæc duo in re ipsa indidue coniuncta sint, ratio tamen Angeli potest unum sine alio voluntati proponere, & ita potest proponere Angelo bonitatem, quam cogitat in ipsa æqualitate cum Deo, non proposito, aut cogitato malo; quod est in non esse sui ipsius, & hoc absque iudicio asserente, aut negante; neque enim necesse est, errorem præcedere in intellectu, ut voluntas peccet, sicut sequenti disp. & 12. quæst. 77. art. secundo ostendimus; defectus enim ex parte intellectus ad peccatum necessarius, ut ibidem ostendimus, in eo solum consistit, ut efficacius proponatur bonum, quod allicit ad peccandum, quam bonum seu malum, quod a peccato retrahere deberet, sicut ex Aristotele ibidem probabimus; sicque videmus homines quotidie delectari cogitantes se in spiritus conuersos, imo etiam in aues, aut bestias, ob aliquam rationem commodi, aut delectabilis, quam in eo figmento

considerant. Qua vero ratione intelligatur illud axioma, qui vult antecedens, vult consequens, applicabimus exemplum 12. quæst. 13. art. 4. nempe velle solum virtualiter (ut aiunt) dicatur velle contingens: non quia expresse illud semper vult, volito antecedenti. Quare, licet quis expresse delectaretur, se in aliud transmutari, non est necesse, ut veller etiam expresse, se non efficere hoc potius ex priori sequatur.

Præterea, quod dicebatur in illa ratione inesse homini naturale desiderium elicitorum, quo vult suum esse, ita ut non possit illud odio habere: intelligi debet de proprio esse ratione sui: nam ratione adiuncti mali, nihil impedit, possit aliquem desiderare, se non esse: namque & homines ratione infamiae, vel alterius gravis mali adeo dolent interitum, præsertim qui vident se perpetuis inferni cruciatibus addictos, ut potius vellent, se in nihilum redigi, quam illa pati: cum tamen alias vita, & esse, secundum se non possint ab ipso odio haberi, & hac ratione dicatur naturale desiderium ipsorum, hoc est, necessarium quoad specificationem, ut supra declarauimus. Sic igitur potuit & Angelus velle Dei æqualitatem secundum naturam, quia sic potuit se apprehendere, ut in melius mutandum: nam menti erat, etiam Angelice, non video hoc aliqua ratione repugnare. Quinimo & nunc dæmon, cum videat, se à Deo damnatum, & cruciatibus æternis addictum, ita Deum odio habet, ut sine dubio delectaret, se ipsum mutari in meliorem naturam, quam diuinam, & expresse velit, se non esse, ut hoc modo Deum ipsum opprimat. Non dico hoc ab Angelo procurari, aut efficaciter appeti, sed in hac vana cogitatione voluntatem eius, ex odio contra Deum, immorari.

Ad testimonium Anselmi, quod in eadem ratione adductum est, respondeo, verba illa citari, quibus docere videtur, non potuisse Angelum appetere æqualitatem cum Deo secundum naturam, non esse Anselmi ex propria persona, sed ex persona discipuli, quæ in eo dialogo inducit. Magister autem, qui in persona Anselmi tibi loquitur, solum respondet, angelum appetisse quandam cum Deo æqualitatem, non secundum naturam, sed alio modo, ut seq. disp. videbimus, neque concedens id, quod discipulus obiecerat, nec illud negans, sed illud tantum asserens, in quo angelus peccasse probabilis ei videbatur.

Deinde id, quod in posterioris rationis confirmationem asserbatur ex Arist. 9. Ethic. cap. 2. alium sensum longe diuersum habet. Ut enim exponit Eustratius in commentariis, & Lambinus in scholiis illius loci, sensus Arist. est: quamvis quisque libi bona appetat: si tamen aliquis in aliud committeretur, ut in lapidem, aut alium, nollit se alium factum, aut lapidem bonis omnibus humanis abundare, sed ijs duntaxat, quæ asini aut lapidis naturæ conueniunt: ut hac ratione Arist. ostendat, non quidem, sicut aduersarij dicebant, neminem posse appetere sui non esse: sed, vnumquemque, et sibi bona solum appetere, quæ suo statui conuenientia iudicauerit: quare mutato statu, mutatur etiam & appetitum rerum: quia & ipsæ res eodem modo bonæ iudicantur.

At quæret aliquis, an desiderare esse Deum per naturam, & in ea cogitatione immorari, sit peccatum superbiæ contra præceptum naturale?

Respondet,

Respondeo, si quis in tali delectatione immoretur, cogitans se esse Deum, ea tamen ratione solum delectaretur, ut immunis esset à peccato, non peccaret peccato superbie: si autem in illo immoretur, quia indigne ferret, se esse Dei potestare: aut ea ratione appeteret omnibus præfieri: esset maximum superbie peccatum.

CAPVT III.

Angelum appetitu equalitatis Dei secundum essentiam peccasse, certum non est.

Qui dixerit se peccasse.
Quamquam non improbanda ratione monstratum sit, potuisse Angelum peccare appetitu superbo equalitatis cum Deo secundum naturam: tamen, an eius peccatum, quo primo de cecidit de statu illo felicissimo, tale fuerit, nondum à nobis explicatum est, in qua quidem controuersia, quod in facto posita sit, rationes firmæ non suppetunt: neque enim in omni re, & materia rationes, aut demonstrationes requirendæ sunt. Refertur nihilominus quid in hac difficultate Doctores senserint. Ex authoribus citatis c. præc. qui dicunt, potuisse angelum hoc genere superbie peccare, nullus est, præter Ioannem Maiorem, qui affirmet, angelos tali superbia peccasse.

61. 1. 14.
 Maior autem probat, demones equalitatem Dei secundum naturam appetuisse, ex illo Mat. 14. Ascendam in celum, & ero similis Altissimo; quod inquit intelligi non potest de celo corporeo: quandoquidem & angelus, qui cecidit, iam erat in celo, quando peccauit: sed de celo spirituali Trinitatis. Verum cum verba illa historice dicta sint de Rege Babylonis, ut nos iam ostendimus præc. disp. c. 4. necesse est ea intelligere de celo corporeo, non quod rex ille uoluerit in corporeum celum se ipsa eleuari: sed ut ea phrasi & figura sermonis explicaret per hyperbolen Prophetam nimium affectum superbie, quo rex ille peccauit. In figura autem illius & non aliter verba illa demoni accommodari debent, ut ibidem etiam conuincimus.

27.
 Ex Patribus vero in 1. cap. allegatis, qui docent, aliquod genus equalitatis, & similitudinis cum Deo demones appetuisse, nullus est, præter Nazianzen. qui de equalitate secundum naturam loqui videtur: in oratione enim de seipso, contra eos, qui dicebant, ipsum cathedram Constantinopolitanam affectare, quæ est 27. nu. 8. ita scribit: *Hæc* (scilicet inuidia & Luciferum obscurauit ob mentis elationem prolapsus: indignum enim atque intolerandum dicebat, se, cum diuinus esset, non Deum quoque existimari. Quibus verbis appetitus superbi equalitatis Dei, secundum naturam, quem habuit angelus, describi videtur. Neque enim obstat verbum illud, existimari, quod solum denotare videtur appetitum non equalitatis secundum rem, sed secundum speciem, & existimationem tantum: nam verbum illud, ita significare potest veram, sicut falsam existimationem: & facilius appetitus angeli in verâ existimationem Deitatis, quàm in falsam appetitum supplicis complacentiæ ferretur. Ceterum idem Nazianzen. in Carmine 6. quod est substantiis mente præditis, hanc sententiam clarius expressit his verbis:

*Quocirca primus male sana mente tumescens
 Lucifer (eximio nam quod fueretur honore,
 Sperabat regale Dei soliumque, decusque)
 Corruit amisso vili splendore, miserque.
 Dum Deus esse cupit, terra caligine totus
 Obscurus est.*

CAPVT I.

68a

Adde etiam Glossam in illud Psalm. 68. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* ubi inquit, diabolus, primoque nostros parentes peccasse, volentes rapere diuinitatem, & Magistrum in 2. disp. 6. c. 1. qui affirmat, angelum peccasse, quia similis Deo esse voluit.

Verum quamuis nullum esset absurdum affirmare, angelum peccasse, appetitu superbo equalitatis Dei secundum naturam, quia & hoc possibile fuit: tamen, quia nullum ad hoc alserendum firmum habemus fundamentum, non est ita sine ratione affirmandum: sed prædicta testimonia, & si quæ alia sunt, de equalitate aliqua per similitudinem sunt exponenda, quæ in quouis peccato superbie quodammodo inueniuntur. Cum enim certum sit, Angelum peccasse peccato superbie, certum etiam erit, aliquam Dei similitudinem affectasse.

DISPVT. CCXXXV.

An peccauerit Angelus superbia per immoderatum affectum suæ beatitudinis.

Quid Scholastici sine controuersia sentiant. cap. 1.

Tres modi explicandi & defendendi communem sententiam. cap. 2.

Probabilior modus defendendi communem opinionem. c. 3.

Obiectio contra superiorem doctrinam. cap. 4.

Qua ratione Angelus peccare possit appetitu beatitudinis naturalis. cap. 5.

Quomodo Angelus peccare poterit cupiens alij præferri. cap. 6.

CAPVT I.

Quid Scholastici sine controuersia sentiant.

Theologis Scholasticis non minus certe, & sine controuersia sententia est, peccasse angelum immoderato appetitu suæ beatitudinis, quam peccasse peccato superbie. Omnes enim constituunt in hoc genere excellentiæ affectum superbie, quo angelus primo peccauit. Sicut etiam omnes dixerunt, peccatum primum angeli fuisse superbiam. Loquuntur autem omnes, quos hic allegabo de beatitudine supernaturali, quam rationalis creatura sperat in præmium bonorum operum. Nam de beatitudine naturali pauci mentionem faciunt, ut infra videbimus.

Primum igitur peccatum Angeli fuisse affectum immoderatum suæ beatitudinis supernaturalis, ex nostris Scholasticis docent Antistodorense in 2. lib. Summa, tract. 2. c. 2. Albertus in 2. parte Summa, tract. 5. q. 21. memb. 1. Alexander 2. parte, q. 98. memb. 3. in corpore, & ad 5. & eodem memb. §. 1. ad 5. S. Thom. Caiet. & recentiores Thomistæ in hoc art. Albertus etiam in 2. disp. 5. art. 3. Egidius q. 1. art. 2. Ricardus art. 1. q. 3. Durandus q. 1. m. 14. Hervaeus q. 1. art. 3. in fine, in solutionibus argum. Th. de Argumentis in 2. disp. 6. qu. 1. art. 1. & eadem dist. Scotus q. 1. post secundum §. Ad videndum. Bassolus qu. 1. §. Quantum ad secundum. Gabriel q. 1. art. 2. post conclusionem secundam. Maior q. 1. circa finem, in solutione 4. Capreolus in 2. disp. 4. q. 1. art. 1. concl. 1. & 2. & art. 3. in solutionibus argum. contra primam conclusionem. Marsilius in 2. q. 1. art. 5. concl. 6. & seq. corollariis Holcot. in 2. q. 3. Ferrar. 3. contra gentes, ca. 109. §. Circa id, quod dicitur. Ex Patribus vero in hac sententia fuisse Ambrosi. in Epist. 84. Aug. lib. 22. de ciuitate. 1. & Greg. li. 34. Moral. c. 17. alias 14. & lib. 3. c. 18. alias 23. quorum verba infra referemus, ego non dubito. Nonnulli etiam ex Scholasticis allegatis prædictam sententiam colligunt ex Ansel. lib. de casu diaboli, ca. 4. ex quo

Antistodorense
 Albertus
 Alexander
 S. Thom.
 Caiet.
 Egidius
 Ricardus
 Durandus
 Hervaeus
 2.
 Argenteus
 Scotus
 Bassolus
 Gabriel
 Maior
 Capreolus
 Marsilius
 Holcot
 Ferrarius
 Ambrosius
 Augustinus
 Gregorius
 Anselmus